

XI. 1 = Q.

(cat. 4, 22-33^b)

- 1.
- 2.
3. S
4. G
5. J
6. G
7. [M]
8. []
9. J
10. J
11. F
- 12.
- 13.
- 14.



BELLVM GRAMMATICALE ⁴⁹
SVPERIORI SAECVLO
PRVDENTIA ORD. PHILOS. LIPS. COMPRESSVM
PAVCIS DELINEAT
ET AD
ORATIONES TRES,
IN MEMORIAM
HEINRICIANAM, RIEDELIANAM
ET SEYFERTIANAM ⁴⁷

DIE XXVIII. SEPTEMBRIS HORA IX. MAT. MDCCLVI.
IN AVDITORIO PHILOSOPHICO
BENEVOLE AVDIENDAS

QVA DECET HVMANITATE INVITAT
ORDINIS PHILOSOPHICI LIPS.
H. T. DECANVS

IO. CHRISTOPHORVS GOTTSCHED

P. P. O. POES. EXTR. ACAD. REG. BEROL. ELECTORALIS
MOGVNTINAE ET INSTITVTI BONON. SOD.

LIPSIAE
EX OFFICINA BREITKOPFIA. ⁴³³⁸

BELIUM GRAMMATICALE
EXPOSITIO SAEPE
PRUDENTIA ORN. PHLOS. LIBS. COMPRESA
TAVO 2. DEINTE
ET AD
ORATIONES TRS
IN MEMORIAM
HENRICIANAM RIEDELIANAM
ET SEYFRITIANAM
IN AVDTORIO PHLOSOPHICO
BENEVOLE AVHENDAS
QVA PECT. HUMANITATE REVLAT
ORDINIS PHLOSOPHICI LI
M. R. DEUAVS
IO. CHRISTOPHORVS GOTTSCHEID
LIPSIÆ
EX OFFICINA SEYFRITIANÆ





Inter hos, de bello cruento Germaniæ nostræ imminente, tumores, nobis, umbraticis hominibus, de bello quodam grammatico sermonem esse, adeo ridiculum non est; quum navitæ de ventis dispicere, mercatori de mercibus mundini- que agere, vitio verti nullatenus possit. Quumque plurimum apud me antiquorum auctoritas valeat, nostrorum præp- rimis majorum, quorum vestigia premere gloriosum nobis est; non alienum ab officio, quo fungor, existimavi fore, si sapientiam quoque insignem reco- hero; qua ante hos centum fere annos, concertatio quædam literaria, inter eruditos quosdam nostrates orta; ab Ordine Philosophorum Lipsien- si compressa fuit. Non enim adeo desides, otiososque rerum inter se gestarum spe- ctatores egerunt majores nostri, ut, quæ in dedecus litterarum vergebant, im- pune grassari permitterent. Verum auctoritate sua interposita fomitem etiam cavillationum extinguendum esse crediderunt; ne latius serpendo flamma, in majus erumperet incendium, academix huic, ipsisque literis mala multa contracturam.

Non igitur de illis mihi sermo erit *bellis grammaticalibus*, quale vel ab ANDREA SALERNITANO inter *Nomen, Verbumque Reges*, de præcellen- tia sua concertantes, ludicra quadam exercitatione confictum *), vel qualia a quibusdam eruditis dudum in lucem edita sub hoc titulo fuerunt. Do- mesticum renovabo bellum, quod in seriniis ordinis nostri hæcenus fere la- tuit, nec præter paucissima scripta, quibus primum eruperat, quidquam in- commodi in reipublicam litterariam intulit. Ordine rem omnem expedi- am, libellos enumeraturus, qui vel occasionem bello præbuerunt, vel ei con- tinuando materiam suppeditarunt.

A 2

Illu-

*) Vid. CASP. DORNAVII *Amphi- raturum Scriptores varios*. Lugd. Bat. 1644.
theatrum Sap. Socraticæ Iocoseriæ T. I. in 12. p. 400.
p. 673. item *Dissert. Ludicrar. & Amœni-*



Illustris Ruthenei, quod Geræ in Variscis floret, Rector, M. IO. SEB. MITTERNACHT, vir non indoctus, An. MDCLX. *Dissertatiunculam, de miscellaneis quibusdam Grammaticis* ediderat; qua potissimum, *quasnam ob causas Diphthongi AE & OE distinctis characteribus pingantur*, explicare annis erat. Hunc enim morem sejungendarum vocalium, quibus diphthongi hæ constant, quum ab aliquo tempore secutus esset, quæsitus sepe numero fuerat ab amicis: quibus causis impulsus hoc fecisset? curve non cum aliis figuram illarum compositam pingeret? His satisfacturus, memorata prolusione quæstionem propositam pertractare instituit; & a refellendis contrasententium argumentis orditur.

Et novitatis quidem aviditatem sibi objectam remoturus a se, non sine fundamento regerit: non illico novum esse, quod novum quibusdam videatur. Si enim aliquis pro Castris, *Castreis*, pro Navibus, *Navebous*; *Sociis* pro focis, *Argentom* pro Argentum, pro Numi, *Numei*, scriberet; multos eam scribendi rationem novitatis ream postulatos esse: licet antiquissima ea sit, immo, ob nimiam antiquitatem, antiquata exoletaque audiat. Sic multos etiam credere: *expectare, causaque* scribentes novandi studio æstuarè, licet QVINCTILIANVS ante XV. Sæcula scriptonem hanc se antiquiorem adseruerit. Negat itaque novum esse, si diphthongi illæ distinctis vocalium figuris scribantur; immo citra ambages adfirmat: ipso CICERONE antiquiorem eam esse; contrariam autem figuram compositam vix ante pauca sæcula natam, nec omnibus probatam fuisse.

Plerosque, hoc porro adversarios suos urgere memorat, & doctissimos quidem viros, composita in diphthongis pingendis figura uti: quorum tanta sit auctoritas, ut vix sine temeritatis vel stoliditatis nota, verbis vel factis impugnari possint. Hos vero omnes, MITTERNACHTIVS noster, vel ad vulgus litteratorum pertinere; vel egregie doctis accenferi, respondet. Illos quod adinet, multitudinem errantium, errori patrocinium parere non posse. Ante CL. CC. & CCL. annos exulasse fere ex omnibus libris diphthongos æ & œ, nec nisi per simplex e, expressas fuisse easdem; uti Codd. MSti æque ac impressi antiquiores abunde docent. Bonis litteris autem renatis restitutas fuisse ab ERASMO aliisque diphthongos, innumeris aliis eos imitantibus &c, &c.

Quod vero ad doctissimos viros attinet, sibi objectos, eos quidem scribere cum vulgò censet, sentire tamen cum eruditis. Qui enim istos antiquitatis Helluones latere possèt, iis temporibus, quibus floruit lingua Latii, diphthongos distinctis divulsisque vocalium characteribus scriptas fuisse? id quod in sequentibus uberius ostendit.

Alios porro, obicere sibi, memorat: etiamsi solidissima suæ scriptonis fundamenta habeat, periculosissimum tamen esse, reformare velle alios omnes,



omnes. Quod sic a se amolitur: ut longissime hoc a se abesse jubeat. Minime enim se viris doctissimis quidquam præscribere velle; qui vel discipulis liberum esse jussisset, quam scribendi rationem sequi quisque velit. Et quæ plura ejus generis, sane haud inepta, in medium adducit.

Ad confirmationem porro sententiæ procedens, rationem primum supponit, a similitudine reliquarum diphthongorum petitam, quas duabus separatis vocalibus exarare solent omnes, e. g. ai, ei, oi, ui, au, eu, quaritque: cur has duas æ, & œ, tantum, secus ac sui generis reliquas, in unum corpus contrahere velimus? Vel *Ταχυγραφεῖαν* solam hic subesse arguit, vel Typothetarum commoditati soli consuli suspicatur. Addit: jam ante se viros doctos ita scripisse, vel exinde colligi posse, quod ærem e. g. Raphaëlem, ædonem, coëgi, introëo, coërceo scripturi, duplex punctum iisdem superimponere docuerint.

Auctoritates postea additurus, ad Calepinum provocat, vel eum, cujus opera dictionarium ejus Basileæ MDXXCIV. editum fuit. Hic autem post A ante E, ita scribit: *AE diphthongus. Communis error per multa sæcula; & male scribitur, dum ex duobus corporibus fit unum æ, œ, aut signatur e eadatum, pro æ.* Scribi debent *sejunctim hæc duo elementa, et utrumque profereudo audiri.* Postea addit fundamenti loco, notas Romanorum antiquas: in quibus AEDIL. non Ædil.; AEG. non Æger; AED. S. non Ædem sacrauit; AER. S. non Ærario Saturni, in lapidibus marmoribus numisque reperitur. Hæc jam ex auctore nostro sufficiant. Videamus quid porro in hac controversia gestum fuerit.

Duobus annis elapsis, hic Lipsiæ in Cathedram philosophicam prodibat Dissertatio Philosophico-Philologica, de gignenda comparandaque Sapientia, ad Cap. VIII. L. XIII. Noct. Att. A. GELLI, quam præfide V. C. FREDERICO RAPPOLTO, Poeseos tum Prof. Ord. defendebat, *Christianus Weise*, Zitta Lusatus, Autor & Respondens, d. 28. Jun. A. 1662. Idem hic est *Weisur*, auctor non incelebris plurimum scriptorum vernaculorum, quibus de re scholastica bene mereri studuit, magnamque nominis famam consecutus est. Minus ipsi arrisisse orthographiam istam diphthongorum Mitternachtenam, vel primum Epimetrum dissertationi subjunctum, satis declarabit, his verbis conceptum:

Diphthongi æ, & œ, recte scribuntur conjunctim. Scriptionem illam CALEPINVS communem vocat errorem, multosque cippos, multa epitaphia &c. ad probandam suam sententiam adducit. A quo modeste dissentimus; quibus semper illud BARTHII placuit: Pro idiotarum & opificum (ut LIVIO hoc genus vocatur) captu, inscriptiones absolutæ, nobis regulas scribendi non dabunt. Vid. Adverf. Lib. IV. Cap. XVII.



Hæc verba, licet generalius concepta, & quibus CALEPINVS magis, quam MITTERNACTIVS petebatur, moleste tamen ferebat hic, qui Calepino duce, compositos diphthongorum characteres communem vocaverat errorem. Post biennium etiam elapsum, tantus sententiæ adoptatæ & publice assertæ amor, vigeat in eo, ut injuriam sibi factam crederet; dissentiumque publice testatum ferre non posset, sine acerbi animi declaratione. Est hæc quorundam Grammaticorum imperiosa arrogantia, ut placita sua obtrudere omnibus oraculorum instar, cupiant. Despotismum quemdam in litteris adflectant, tyrannidemque exercere inter eruditos nulli dubitarent, si fieri ulla ratione posset. Quare irascuntur aliter sentientibus, ac injurias sibi illatas existimant, ubi ab opinionibus suis alios abire, in rebus indifferentibus etiam, vident.

Non jam de bonitate causæ quæstio est mihi. Sunt utrimque quæ probari, sunt, quæ vituperari possunt. Verum est, ex parte Mitternachtii, antiquos separatis vocalibus expressisse Diphthongos; novumque ideo non esse hoc scribendi genus. Verum quoque est, reliquas Diphthongos secretis a se litteris, recte legi, scribique solere. Ex adverso verum quoque est, lapidarium antiquorum, operarumque, quibus in numis cudendis usi sunt, incuriam negligentiamque nobis fraudi esse non debere. Multa enim, immo infinita in his similibusque sphalmata admitta reperias, si Inscriptionum antiquarum volumina evolvas, numos veteres, gemmasque bene multas attento oculo examines. Restat semper quæstio: an in caractere barbaro, in medio ævo reperto, quo hodie in scribendo utimur, idem obtinere debeat, quod observatum a Romanis in quadratis Litteris, vel majusculis, fuit? Restat dubium, an in Diphthongis, duplicem vocalium, quibus constant, sonum, in pronuntiando non servantibus, eadem scribendi ratio conservari debeat, quæ in reliquis merito observatur? saltem ubi rationem, quam auctoritatem veterum sequi malis. Quis enim non videt, sonum *æ* & *o* in Diphthongis *æ*, & *æ* prorsus perire; secus ac in *au* & *ei*, reliquisque fieri solet.

Verum hæc in transitu. Iam redeamus ad Mitternachtium nostrum, qui, licet in causa probabili versaretur, tamen in modo eam agendi idem agebat, quod in turpissima quavis, ab aliis minus doctis fieri solet. Acerbiori quippe stilo defensionem opinionis suæ suscipiebat, quam par erat, edita in lucem: *Dissertatiuncula Apologetica, de Diphthongis AE & OE*, eodem anno MDCLXII. Mense Aug. Geræ, Typis hæred. Mamitz, in 4. plag. duabus constante.

Invehitur eadem, statim ab initio, in fervens suo sæculo temerarium contradicendi studium: quo & inter Theologos magna cum acerbitate animorum



rum & linguæ virulentia, orthodoxorum Theologorum thesibus contradixerint, quotquot pestilens ille Romanæ Thaidis amor *dementavit*, aut Philtro suo fascinavit cœca in rebus fidei ratio, (Calvinistas intelligit, & Socinianos.) &c. Medicos porro & Jureconsultos in partes vocat, sicque ad Philosophiæ & Philologiæ studiosos descendit, qui ita non raro intricentur, ut extricare se, nisi ingeniosissimi, & magna quidem cum temporis jactura non possint. Hanc igitur causam subesse putat, quamobrem doctissimi quidam viri, eruditissima sua meletemata intra privatos parietes abscondere, *quam dilaceranda & exagitanda male feriatis quibusdam ingenis committere maluerint*. Pergit, *amarulentos contradicentium morsus exhorrendos accusare, ingratosque malevolorum animos crepare*: quibus perlectis, in re tantilla, de recta diphthongorum quarundam scriptione, non potuit non mihi succurrere falsum illud festivissimi MARTIALIS Epigramma, in causidicum, de tribus Capellis coram iudice litigantem, conjectum:

Non de vi, neque cæde cæde, nec veneno,

Sed lis est mihi de tribus capellis.

Vicini queror has abesse furto:

Hoc iudex sibi postulat probari.

Tu Cannas, Mithridaticumque bellum,

Et perjuriam Punicam furoris,

Et Syllam, Mariosque Muciosque

Magna voce sonas manuque tota.

Jam dic, Postume, de tribus Capellis!

Quid enim monstrum, quidnam facinoris bonus ille Mitternachtius, quod accusaret, habebat? CALEPINVS, at quantus vir! erroris insimulatus erat. Hujus defensionem suscipiens, *monstrum horrendum & ingens, cui lumen sanæ rationis adentum videtur, quodque barbari REPUTATIONEM vocant, ipsi expugnandum & subigendum videtur*. Metuisse enim credit plebsque, ne, si inveteratum errorem a Calepino, homine grammatico, & vulpecula, ut vocant, scholastica, (verbis auctoris mei utor) *offensum emendarent, eo ipso se erroris arguerent, atque hac ratione non parum de existimatione sua ipsi detraherent*.

Non moror, quæ in sequentibus pro causâ CALEPINI in medium affert, docta sane, nec ex trivio petita: verba tantum repeto, quibus in adversarium suum invehitur duriuscule: *Hac nostra, inquit, tempestate, ne quid contradicendi prurigini deesse videretur, contradixit nonnemo, sub SAPIENTIS nomine, nescio quid simulans*. Verum, nec sapientis nomine se appellaverat WEISIVS, nec sub hoc nomine quidquam simulasse vide-



videbatur: sed de *gignenda comparandaque Sapientia* ad mentem GELLII egerat. Quid quælo monstri hic latere, vel oculatissimus viderit? Repetito postea epimetro supra dicto, addit: *Abi itaque, miser Calepine! Et post tot annorum decursum agnosce, te non sine gravi errore, erroris insimulasse alios! Quid autem est, sexagenarios de ponte dejicere, Et configere cornicum oculos, si hoc non est? At vix homini! si Calepino reviviscere jam, ac doctissima antiquitatis monumenta producere in proscenium liceret. Quam vapulareret, si senex ille venerandus pro rigore excutere επιμετρον illud admitteretur? - - Sed mortuus est leo; ideoque nemo non insultare illi potest.*

Hos animorum motus vix facile quisquam solo Calepini defendendi studio ortos esse credet. Habemus etiam confitentem reum; verba enim mox insequentia ita habent: „Si, quæ hæc moneam, quis quærit? ei responsum volo: significatum mihi fuisse, non ita ante multos ante dies, a non paucis, qui me antehac Præceptore usi fuerunt, επιμετρον σου illum ασυμμετρον επιμετρον suo, sub Calepini nomine, per cuniculos me petiisse, qui idem, profusus cum Calepino sentirem, idque in Dissertatiuncula mea testatum fecissem pridem. Hinc illæ lacrumæ! Rumoribus igitur & malevolorum suggestionibus, tantum tribuendum esse censuit Vir ad suspiciones pronus, ut exardescens subito, quasi Hannibale ante portas versante, ad arma convolaret. Quid quæso impotentius fieri poterat, a viro gravi, qui plus viginti annis jam hac scribendi ratione se ulum fuisse testatur?

Magis autem fastus hic imperiosus patebit, ubi ad convicia respexerimus, quibus adversarium suum impetit virulentus. Postquam enim non cum Præfide Clarissimo RAPPOLTO sibi rem esse, sed cum Respondente WEISIO, professus esset, subjungit: *Ante omnia vero non possum non dequirari maxumopere, hominem, multum adhuc juvenem, primaque lanugine malas flaventem non erubuisse, canam Calepini barbam vellere, Et conspuere velut calvitium Viri ætate ipsa venerandum.* Præterea multa alia in hanc sententiam adjecta: quæ si aliquid veri, uti negari nequit, continent: non decere scilicet juvenes insultare majoribus, si vano contradicendi pruritu acti, verbis id indecoris, atque stoliditatem prodentibus faciant; id tamen non efficiunt, neminem, qui natu minor sit, a sententiis prædecessorum suorum, se seniorum, recedere debere. Nec amaris adeo scommatibus, juvenus alicui exprobranda est, si nihil juvenile vel puerile commisit in alium, nisi quod a sententia ejus abierit; rationibus tamen motus, & testimonius aliorum eruditorum suffultus.

Quæ quum ita sint, supersedere potero ab ulteriori defensionis hujus epitome facienda. Ad id propero, ex quo Ordinis nostri, in tuenda Cathedralis philosophicæ libertate, auctoritas, & in vindicandis injuriis, cuidam ex

Bacca-



Baccalareis suis, publice factis constantia, iustitiæque in apricum ponatur. Tantum enim abest, ut vel privatæ Weisii vindictæ indulgendum, vel magno animo criminationes extranei cujusdam, a suo cive & alumno ferendas censeret; ut potius sapienti consilio innocentæ causam in se susciperet, mediaque aptissima adhiberet, coercendæ petulantæ in homine, qui superbo fastu nullum dissentium, licet absque nominis sui mentione, & modestissimis verbis testatum, ferre possset, inmo conviciis etiam controversias litterarias commacularet.

Vix enim Ordinis philosophici consilium opemque imploraverat WEISIVS, tantopere læsus, ubi sub Decanatu Viri Cel. JACOBI THOMASII, Oratoriæ tunc Professoris, Ordo ipse rem suam agi existimaret, calumniamque Juveni bonæ spei impactam anovendam esse concluderet. Qua id ratione fecerit, stilo ipsius Decani relatum exhibere, quam meis verbis explicare malo. Habentur eadem in Vol. II. Actorum Facultatis, quibus annales communitatis nostræ litterariæ continentur, Anno 1662. pag. 5. & 6. his concepta verbis.

INCIVILITAS

M. IOH. SEB. MITTERNACHTII,

RECTORIS SCHOLAE GERANAE,

ACADEMICAM LIBERTATEM INFESTANTIS,

ET DE SCRIPTIONE DIPHTHONGORVM

AE ET OE.

BELLO GRAMMATICALI CLASSICVM

CANENTIS,

CIVILITER A FACVLTATE CASTIGATA.

Disputaverat d. 28. Junii de Sapiaentia, ad Gellii Lib. XIII. cap. 28. Præsede M. FRIDERICO RAPPOLTO, Prof. P. CHRISTIANVS WEISE, Philos. Baccal. Et in emergens illi disputationi adjectis hoc primum posuerat:



„Diphthongi α & ε recte scribuntur conjunctim. Scriptionem illam CALEPINVS communem vocat errorem, multoque cippor, multa epitaphia ad probandam suam sententiam adducit. A quo, modeste dissentimus, quibus semper illud Cl. BARTHII placuit: „pro idiotarum & opificum (ut LIVIO hoc genus vocatur) captu, inscriptiones absolutæ, nobis regulas scribendi non dabunt. „Vide Advers. lib. 4. c. XVII.

Reſtor Gymnaſii Rutheno-Gerani, M. IOHANN. SEBASTIANVS MITTERNACHT, qui meminisset, diuulſionem illarum diphthongorum paulo ante in aliquo Programmate acriter ab ſe deſenſam fuiſſe, Diſputatoris noſtri Collarium, quod tamen totum modeſtiæ plenum eſt, ipſum vero ne nominauerat quidem, ad injuriam ſuam pertinere ratus, Diſſertatiunculam, ut vocat, apologeticam, illi d. ii. Auguſti oppoſuit ſatis prolixam, Geræ typis deſcriptam, in qua, cum ipſi cauſæ perſonam Reſpondentis miſcuiffet, eumque nihil tale promeritum incivilibus modis excepiſſet, rem ad Facultatem ipſe detulit WEIſIVS, & medium hanc maculam abſtergendi, rogavit. Facultas, quod res erat, videns, non parum lædi Academicam libertatem, ſi a ſententiis privatius Reſtorum ſcholaſticorum modeſte diſcedere ſtudioſo liceret; niſi cum periculo ferulæ ab iis excipiendæ, caſtigandum hominis faſtum, ſed abſque ſtrepitu inglorii belli exiſtimavit. Itaque, ut provocanti MITTERNACHTIO ſimilem ſe gereret WEIſIVS, & cum eo in publicum certamen conviciorum deſcenderet, indulgere noluit. Scriptis autem ad Conſiſtorium Rutheno-Geranum litteris, d. 20. Septembris conſiſcationem maledicæ chartæ, utque Autor erroris ſui graviter admonitus, & nobis, & WEIſIO ſatiſfacere juberetur, decenter rogavit. Injuncta fuit MITTERNACHTIO a Superioribus ſuis declaratio: quam ab eo d. 18. Octobris perſcriptam, Conſiſtorium poſtea nobis miſit ἰδὲ γράφον, ſimul intercedens, ut ita acquieſceremus. Declarationis ea fuit facies, ut ſatis apparet, reformidare quidem MITTERNACHTIVM τὸ ἀντιπρονοῦδος, cæterum ea eſſe animi impotentia, ut nec morbum ſuum agnoſcere, nec bona fide ad ſanctitatem ſe recipere poſſet; cum in eodem ſcripto ἀσύνκλωσα συγλάδων, importunas blanditiis novis criminationibus conjungeret. Quare omitendum hominem rata Facultas, Decanatu ſequenti d. 19. Januarii An. 1663. Conſiſtorio declarationem Reſtoris, retento tamen fide digno apographo, remiſit, & ita reſcripſit: ut colores malæ cauſæ a MITTERNACHTIO quaeritos, accurate dilueret, ſcriptique immodeſtiam rationibus inconcuſſis reſtiteret; de cætero ſoleniſſime teſtaretur, in gratiam Interceſſorum, & contempla-



tionem ipsius Gymnastii, parcere se velle Rectori, Et exigendam aliqui publice ultionem illi condonare. De libertate interim Academica, quibusvis opinionibus dubiis publice porro contradicendi, nihil quicquam decerptum cupere.

En B. L. exemplum, & justitiæ & auctoritatis in Ordine nostro, ex sæculo proxime elapso petitur; quod in memoriam revocare nostris temporibus eo consultius est, quo longius a moribus nostris abire deprehenditur. Fuit, fuit nimirum aliquando tempus, quo injurias, vel studio Lipsiensi ab exteris publice factas, sine ultione dimittere haud poterat Facultas: tantum abest, ut tranquillo oculo eas spectaverit. Non deerat tunc Magistratibus voluntas, tuendi innocuam in re litteraria libertatem, cum modestia conjunctam; non deerant consilia mediaque, quibus vindicta etiam de absentibus, & extra territorii Saxonici fines degentibus, immo in officio publico constitutis, capi posset. Ne successu quidem carebat Ordinis cura prudentissima, in satisfactione ab adversario, obstituto licet, extorquenda: id quod æquitati & justitiæ Consistorii Gerani illius temporis, maximæ gloriæ cedit.

Non tamen Professore Ordinis nostri læserat MITTERNACHTIVS; non Facultatis Assessorem; ne Magistrum quidem, summos honores adeptum offenderat; sed Baccalaureum, sed juvenem studiosum, sed Musarum Alumnum tantum; de quo, quid sperandum esset, non nisi incertis valde auguriis tunc constabat. Quid quæso facturum fuisse creditis? si Professore RAPPOLTVM, si ex primoribus Universitatis aliquem, si consularem, ut ita dicam, virum, Magistratibus academicis sæpius non sine laude gestis, insignem, meritisque in omnem rempublicam litterariam illustrem, læsisset MITTERNACHTIVS? Nonne omnem moturum fuisse lapidem creditis, ut læsam Collegæ famam exilimationemque omni modo restitueret, aggressoremve, calami libertate cum acerbitate abutentem, in ordinem redigeret, coerceret, & ad palinodiam canendam adigeret? Tantum abest, ut ab alio in hac Academia, cuiquam suorum impune insultari, frigidiuscule subridens siturus fuisset.

Damnosa quid non imminuit dies!

Aetas parentum, pejor avis, tulit

Nos nequiores; mox daturos

Progeniem vitiosorem.



Hæc hæctenus. Jam belli hujus grammatici occasione, quod orthographiam latinam concernebat, aliud simile problema proponam: ne in antiquis tantum versari me, stomachentur Lectores. Miror MITTERNACTIVUM istum, Orthographiæ antiquæ vindicem, non vocalium *u* & *i* quoque figuras, ubi in consonantes abeunt, mutatas, impugnasse, promiscuumque eandem usum iussisse. Nonne enim decuisset tantum doctæ antiquitatis assertorem vindicemque, qui *benivolus*, *expecto*, *caussa*, *adserere*, *ambageis*, *auctoritas*, *monimenta*, *haut*, *omneis*, *venerabileis*, *maxumopere*, *maxumo*, *optume*, aliaque plura magis singularia affectavit, in hoc etiam antiquitatis vestigia premere? Haud fecisse vero, non oculis tantum obversantes dissertatiunculae ejus docent, sed expressa verba ipsius D. N. I. indicant, ubi inter singularia orthographica sui temporis refert: *May*, pro *Maji*, *abijcio*, pro *abjicio*, *Igitur*, pro *Igitur*, *Ioannes*, pro *Johannes*, *vinum*, pro *vinò* scribere. Hæcine est, has vocalium consonantiumve figuras confundere? an potius sollicite discernere, & cum discrimine adhibere?

Contigit interim sequentibus annis, hoc præsertim sæculo, in scenam denuo revocari antiquam Monachiorum mediæ ævi orthographiam, vel *cacographiam* potius; qua in scriptura hac barbara, sæculorum obscurorum *progeme*, quam Longobardicam sive Gothicam merito appellaveris, figuras *rs* *i* & *j*, nec non *rs v* & *u*, promiscue, absque omni regula adhibere placuit. Non in codd. mstis tantum, latinis æque ac germanicis, immo gallicis, italicis, anglicisque hæc confusio characterum invenitur; verum in libris impressis quoque, qui primo post inventam artem typographicam sæculo prodierunt, idem passim occurrit. consonas cum vocalibus confundendi studium. Imitabantur quippe Typographi primi characteres Librorum manuscriptorum, nec ultra exemplaria sua sapere tunc facile poterant.

Invenio sic Aldinas, invenio Gryphicas, pluresque alias auctorum classicorum editiones hac confusione scatentes. Agedum, videamus quasdam antiquiores etiam. APVLEIVS Vicentiæ prodiit A. MCCCCLXXXVIII. apud Henricum de Sancto Urso in fol. Hic Lib. de Asino aureo sic incipit: „At ego „tibi sermone isto milesio *uarias* fabulas conferam, auresque tuas *benivolus*, „lepidò sursurro permulceam. &c. „ Mox *incunditas* etiam reperitur, item *iam* &c. Nullum hic *rs v* vel *rs j* vestigium apparet.

Ad manus est JUVENALIS, cum Antonii Mancinelli explanatione Lugduni a Stephano Baland MDVII. impressus. Hic Sat. I. sic legit:

Nota



Nota magis nulli domus est sua, quam mihi lucus
 Martis: & *colijs* vicinum rupibus antrum
 Vulcani: quid agant *venti*: quas torqueat *umbras*
 Eacus; vnde alius furtive deuehat aurum
 Pellicule, &c.

Hic *ro v* semper ab initio, *ro u* vero in medio positum deprehenditur, absque omni vocalium vel consonantium discrimine. Item *ro j* in Æoliis absque ratione ulla positum est, aliaque multa ex monachorum barbarie prave imitata occurrunt.

Aldus Venetiis PLINII junioris epistolas A. MDVIII. in 8. edidit, nec tamen in minori scriptura, s. caractere novo, ullum *rs v* vestigium reperio. Hic Ep. II. L. I. occurrit *uideor, tentani, uim, Caluum, uelim*, aliaque id genus; item *iam, unus, humileis, expectat*, aliaque, prout in MSis codicibus repererat.

Ex Ascensiano typographeo ut aliquid adducam, etiam opere pretium est. Dialectica *Laurentii Walle*, anno nono salutis, supra millesimum ac quingentesimum prodit. Ne hic quidem alia *rs v*, & *u* distinctio adhibetur, quam initii, mediæque vocis syllabæ: lego enim fol. i. *ut, vno, peruenire, vnius verbi*. Ceterum *rs j* nullum exemplum occurrit: scripturæ autem compendiis infinitis editio hæc scætet, merito a recentioribus typographis neglectis.

Gryphicas editiones, tempore aliquantisper præcedit *Robertus Stephanus*. Hic A. MDXXII. edidit Parisiis PHILIEPI MELANCHTHONIS, de Rhetorica libros III. Legitur hic pagina 8 *quæstio, absolui, ut, video, iustitia, aiunt*; ita ut loco solo differant characteres *v* & *u*, consona autem *j* nullibi reperiat. His Basileensis Bebelii succedat editio DICTYS CRETENSIS & DARETIS PHRYGII, A. MDXXIX. cum quibusdam Erasmi translationibus, in 8. parata. Nullus hic iterum *rs v*, in caractere minusculo usus; nullum *rs j* vestigium apparet; lego enim *uetslum, eius, unum, faue*, &c.

Ex *Gryphicis*, quarum collectionem non contemnendam ad manus habeo, VALERIVM MAXIMUM, A. 1534. in 8. Lugduni editum in medium affero. Hic nullum *rs v*, & *rs j*, usum agnoscit: quippe, *ciuis, virili toga, ubi, nauigasse, uideret, iuste, cuius*, aliaque similia semper exhibet: & ad postremas usque editiones suas hunc morem seruarii *Gryphius*.



Nec ablit ab hisce magistris suis, diligentissimus quondam nostræ urbis Typographus *Vægelinus*. Insignia artis suæ Specimina dedit, in *Elizæ Corvini Poematibus* A. 1568. in 8. editis: inconstantem tamen sequitur orthographiam quod hæcæ adinet litteras. E. g. p. i. legitur:

Si tamen, o vates, tantum mea carmina possunt,
Impune vt uestros detur contingere uultus,
Atque aliquos usus cepti sperare laboris:
Te cano, qui tenetræ vernans in flore iuventæ. &c.

Non moror jam editiones *Oporinianas*, *Comelinianas*que, apud quas recentiori multo tempore, *uobis* & *ijs*, uero, *compendij* & *iure* reperio, absque ullo litterarum discrimine observato. Pudet enim, tot negligentia & inconstantia scriptorum, typographorumque specimina in medium asferre. Hoc tantum addo, abiisse ab hac confusione nupero sæculo, diligentissimos inter Batavos artifices, *Elzevirios*: quippe quorum nitidissimæ editiones perpetuo *re* *v* & *u* discrimine superbiunt, eoque nomine meruerunt, ut omnes fere exterarum gentium auctores, typographique imitati eos fuerint. Vocalem enim *u* numquam per *v* exhibent, nec consonam *v* umquam per *u* reddunt; sed constanti distinctione summi cuique officium relinquunt; id quod & de consona *j* & vocali *i* observatur. Omnis ab eo tempore Batavia, Anglia, Gallia & Italia hunc morem, rationibus grammaticis adeo consentaneum, secuta, Germanorum etiam quam plurimos illustrissimosque in partes suas pertraxit. Acta Eruditorum Lipsiensia quippe, inde a prima origine sua hunc morem secuta sunt, & in hunc usque diem servant: ut taceam alios, numero infinitos.

CHRISTOPHORO CELLARIO vero, cujus vestigia tum plures sequiebantur, in *Orthographia latina*, quam ex vetustis monumentis, hoc est Nummis, Marmoribus, Tabulis, Membris &c. restituere aggressus est, confusione iterum medii ævi barbaram tueri, visum fuit; diphthongos licet *æ* & *æ*, in minore scriptura conjunctas servaret.

In contraria omnia abundum sibi esse censuit, CONR. SAM. SCHURZFLEISCHIIUS, in *Orthographia romana*. Diphthongos quippe discernendas in minori æque, ac quadrato caractere latino existimans, *ro* *u* vocalem, *ro* *v* consonam esse iussit, nulla situs in medio initiove vocis, ratione habita. Qui inter Criticos primipilares dissensus, quid quæso, nisi plenam eruditum libertatem relinquere poterat, eligendi sententiam, rationi maxime

maxime consentaneam? Verum enim vero, ubi spes erat, fore, ut id, quod pronuntiationi, rationibusque grammaticis maxime consentiret, eligeretur; præter opinionem factum est, ut a *Schurzfleischio* diphthongos divisas, a *Cellario* autem *to v* & *u* confusas, adoptarent humanitatis latinæ sectatores non pauci; *to j* autem prorsus ex minori scriptura eliminarent: nulla prorsus, nisi difficultatis ac singularitatis in legendo scribendove, ratione ducti.

In Linguis recentioribus, italica, francogallica, & germanica, eadem quondam kakographiæ ratio invaluerat; quemadmodum libri superiori sæculo ineunte impressi, magno docent numero. Sic Germani nostri vnd, vnuerstendig, jhm, jm Hiüsel, & veriagen, scribere solebant. Sic Itali *Petrarcham*, cujus antiquam editionem, sub Sæc. XV. finem typis elegantissime exscriptam, possideo, expressum habebant. Lego enim in eadem Cantione I. *nudriua, giouenile, uario, uane, oue, prona, ueggi, uergogno, souente*; absque ullo *te v*, vestigio. Idem fere in recentiori Venetiana A. MDXIII. ejusdem vatis, editione usu venit; nisi quod *to v* semper ab initio vocis *to u* in media voce adhibetur: e. g.

Per far una leggiadra sua vendetta.

E punir in vn di ben mille offese - -

Era la mia virtute al cor risfretta,

Per far ini e negli occhi sue difese &c.

In Machiavelli operibus A. MDL. editis, eadem scribendi ratio obtinet. Libro I. enim Historiæ florentinæ statim ab initio, *vuol, diuidersi, poueri, uqualmente, hauendo*, aliaque sexcenta occurrunt.

Gallos quod attinet, certum est, eosdem Sæculo adhuc XVII. ineunte hunc morem secutos esse. Ad manus est *Aniotti* Operum moralium Plutarchi Editio A. 1613. facta, cujus rubrum verba: *Auec vn Indice, & ceures, reueues, de nouueau,* & similia exhibet. Adest *Heliodori* æthiopica Historia A. 1626. Parisiis ab eodem gallice edita, *de nouueau reueuë, corrigée sur vn ancien exemplaire, Diuisé &c.* Adest quoque *Silhonis* de Immortalitate animæ Liber A. 1634. Parisiis splendidissime editus, qui itidem nobis exhibet litteras has confusas & permixtas: immo nec *Petrus Carnelius*, circa idem tempus in clarescens primas Tragœdiarum suarum editiones aliter exscribi curavit.

Verum re maturius expensa, ubique abrogata est peruersa hæc scribendi ratio, ab omnibus populis modernis; uti libri eorum impressi omnes, facis



fatis ostendunt. Lectionis enim & pronuntiationis rationes sequi, quam antiquum medii ævi errorem conservare maluerunt omnes. Non nisi in latina lingua, & quidem in parte tantum Germaniæ, servari hæcenus siveit, Monachorum antiquorum confusio, neglecta omnis reliquæ Europæ litterarum consuetudine, rationibus licet maximi ponderis innixa.

Me quod attinet, diu eundem errorem erravi, donec in præfatione *Antilucetii Polignaciani*, palinodiam canerem, exterorum, aut rationis potius, idem suadentis auctoritate inductus. Si tamen Auctoritatibus opus est indigenis, Acta Eruditorum Lipsiensia in caractere hodierno semi-barbaro, sequor; aut si Criticos mavis, in Diphthongis scribendis *Cellarium*; in discrimine *rs v & u* observando *Schurzfleischium* auctores veneror: in Litteris quadratis autem & vere romanis, antiquitatis Augustei sæculi vestigia sollicitè premenda esse existimo.

Verum hæc, corollarii instar, obiter tantum; ne nihil, præter antiquas lites, renovasse viderem. Jam ad id propero, quod officii ratio a me postulat. Indicendæ quippe sunt orationes tres, in memoriam trium Evergetarum, habendæ, ab optimæ spei viris juvenibus, clarissimo, nobilissimisque. Memoriam quippe HENRICIANAM recolet, de Deæ Victoriæ forma dicturus,

ENOCUS CHRISTIANUS AUGUSTUS OTTO,

A. M.

SEYFERTIANAM, oratione de Præstantia Legum romanarum,

CHRISTOPHORUS GEORGIUS WINKLERUS,
Hirschberga Silesius.

RIEDELIANAM autem, dulcia & facilia non esse præcipienda probaturus,

CAROLUS ADOLPHUS DIETRICH, Med. Cultor,
Lufatus.

Quibus doctrinæ & eloquentiæ specimenibus, ut proxima die Martis, hora IX. matutina, in acroaterio Philolophorum antiquissimo, præsentia sua adesse velint Academia Pro-Rector Magnificus, Comites illustrissimi, Procures Academicæ excellentissimi, Civesque generosi pariter ac humanissimi, Ordinis mei nomine, ea qua decet erga quosvis veneratione ac modestia rogo.

Publ. prop. Die XXVI. Septembris A. MDCCLVI.



Yc6769

ULB Halle 3
003 350 355



Sb.


Retr ✓ 9.1.01

N.C.

1377







49

BELLVM GRAMMATICALE
SVPERIORI SAECVLO
PRVDENTIA ORD. PHILOS. LIPS. COMPRESSVM
PAVCIS DELINEAT
ET AD
ORATIONES TRES,
IN MEMORIAM
HEINRICIANAM, RIEDELIANAM
ET SEYFERTIANAM
DIE XXVIII. SEPTEMBRIS HORA IX. MAT. MDCCLVI.
IN AVDITORIO PHILOSOPHICO
BENEVOLE AVDIENDAS
QVA DECET HVMANITATE INVITAT
ORDINIS PHILOSOPHICI LIPS.
H. T. DECANVS
IO. CHRISTOPHORVS GOTTSCHED
P. P. O. POES. EXTR. ACAD. REG. BEROL. ELECTORALIS
MOGVNTINAE ET INSTITVTI BONON. SOD.

LIPSIAE
EX OFFICINA BREITKOPFIA.

4379